

TIT. V.

De concursu ad Parochiales Ecclesias.

CAP. I.

Explicatio Tridentini Decreti.

1 Concilium Tridentinum (a), ut, missis incognitis, & indignis, justo delectui habiliorum, & probatorum Ministrorum consuleres, alicubi statuit, ut, cum Parochialis Ecclesie vacatio — quomodocumque contigerit, etiam Ecclesia Parochialis reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter — debeat Episcopus statim habita notitia vacantis Ecclesie, si opus fuerit, idoneum Vicarium — constituere — Porro Episcopus, & qui jus Patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam, coram deputandis Examinatoribus nominet. Liberum sit autem & aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cuiuslibet etate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari.

2 Hinc patet, Concilium non nisi in subsidium, si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more magis expedire videbitur: concessisse, ut per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari; ut pote quibus tum per externæ, tum internæ vocationis signa aliunde constat, se à Deo ad curam animarum vocatos.

3 Abhinc edictum ita affigendum est, ut finis illius obtineatur; id est, ut per illud vocentur omnes, qui examini se sistere volent. Unde arbitrio Episcoporum relictum est, locum, & tempus, quo comparendum sit ad examen, præfigere. Sic sæpe usus habet, quod Edictum Episcopi ad scholas publicas mittatur, ut hoc pacto ad notitiam Clericorum ibidem studentium pervenire queat, quoniam sæpe & multo securius à pio, docto, & zeloso Præside vocationem suam discere possunt, quam ab Episcopo ipso, cui plerumque eorum vita, & conversatio minus perspecta est.

4 S. Carolus in Concilio Mediolanensi I. statuit, ut cum

(a) Trid. sess. 24. c. 18.

primum Episcopus Parochialem Ecclesiam vacare cognoverit, intra triduum ad Cathedralis, & vacantis Ecclesie januam publicum edictum per totos decem dies, vel aliud longius tempus, ejusdem Episcopi arbitrio, propositum esse jubeat. Enimvero & ita Synodus Tridentina expressit, tametsi Pius V. (a). singulari Constitutione vetuerit prorogationem ultra alios decem dies. Bulla enim Pii V. ubique recepta, saltem quoad hoc punctum, haud est, quia Concilii Decretum, prout sonat, præferre alibi placet.

5 Concilii Decretum, prout sonat, amplissimum, in ordine ad Parochiales Ecclesias est (b). En tenorem: Cum Parochialis Ecclesie vacatio, etiamsi cura Ecclesie alteri, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum, vel plures administraretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infra scriptum examen teneri mandat per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter, quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulum &c.

6 Invaluit tamen alicubi sequiore interpretatione, quod à concursu eximantur Parochie, quarum cura spectat ad Ecclesiam collegiatam, ita, ut id officium exercentur per Canonicos, aut Hebdomadarios, vel alias Clericos ad nutum amovibiles. Hoc exemplo & receptum est, concursum non habere locum, si cura sit penes Capitulum, aut Monasterium, aut aliquam Dignitatem, tametsi officium stet penes Vicarium ad nutum amovibilem. Recentior Constitutio Pii (c) à concursu absolvit & Vicarias perpetuas, quæ tamen alibi concursui subjiciuntur, quia Vicarie perpetuæ instar beneficiorum censentur.

7 Si Ecclesia Parochialis annexa sit Dignitati accessorie, ita, ut ipse Dignitatem obtinens per se exercentur curam animarum, à concursu eximitur, quia tunc potius conferri Dignitas, quam Ecclesia Parochialis videtur: si autem Parochie ipsi sit Canonicatus, aut aliud beneficium via suppressionis, vel accessionis unitum, dubitari nequit, vacante Ecclesia Parochiali locum esse concursui, quia tunc Parochia superest in suo integro, ac naturali statu.

8 Quantum ad Ecclesias Patrimoniales concursui ita locus

(a) Pius V. Bull. 33. in Bull. Rom. (b) Cap. 2. de Paroch. à concursu exempt.
(c) Pius V. Bull. 46. in Bull. Rom.

cus est, ut tamen qualitati beneficiorum non derogetur. Hinc, si plures quidem se examini sistant, præferendus cæteris paribus ille est, qui præscriptam qualitatem v. g. cognationis habeat. Id ipsum & locum habet in Parochiis, quæ graduatis, ac nominatis Accademicis debentur.

9 Usu invaluit, quod & Parochiæ, quæ per resignationem in favorem, vel per permutationem conferuntur, à concursu excusentur, quia proprie vacare non censentur.

10 Quid de Ecclesiis juris Patronatus? Concursui locus est, si jus Patronatus sit ecclesiasticum: si vero id jus sit laicum, à concursu excusatur. Si alternativum sit, pro turno ecclesiastico concursui subjicitur, pro turno laicali à concursu eximitur. Quid, si mixtum sit, & simultaneum? Juxta declarationes Cardinalium concursu opus est, etsi pro duabus partibus pertineat ad laicum. Alibi tamen pro jure Patronatus mixti concursus exulat, quia Tridentinum Decretum non nisi cum illa clausula admissum est: *Salvo jure Patronatus Regii, ejusque Vasallorum.*

11 Præcipit Concilium Tridentinum (a), ut transacto constituto tempore concursus, omnes, qui descripti fuerunt, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus, non paucioribus, quam tribus.

12 Episcopi est, examini per seipsum adesse & præsidere, quia de causa summi momenti, ut pote cura animarum agitur. Absit, ut Episcopus ab ea præsentia, & assistentia obtentu cujusvis alterius negotii excusari posset. Quid enim illa querela S. Bernardi funestius (b)? *Optimi, inquit, videlicet aestimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam, vel nullam de maximis curam gerunt. Sed, ut liquido datur intelligi, patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram.*

13 Si legitime tamen per graviores causas impeditus est Episcopus, examen coram ejus Vicario Generali peragendum est, assistentibus aliis Examinatoribus, non paucioribus, quam tribus. Inquit S. Synodus: *Examinatores autem singulis annis in Diocesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres,*

(a) Cap. 3. De Examin. & Examinat. Trid. supr. (b) S. Bern. lib. 4. de consid. c. 6.

quos maluerit, ex predictis illis sex eligat. Enimvero quotannis Synodum diocesanam haberi, S. Synodus præcepit.

14 Nostris moribus, quibus annuæ Synodi exoleverunt, superest, quod Episcopus illos Examinatores assignare, & nominare soleat. Juxta Tridentinum Decretum (a), *sint vero illi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia: aut jure Canonico, vel alii Clerici seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui videbuntur magis idonei ad id.* Delectus ergo habiliorum Examinatorum præscriptus est.

15 Delectis Examinatoribus præcipitur, ut omnes ad SS. Dei Evangelia jurent, se, quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Solet id juramentum hodie ab Examinatoribus semel, ut pote in ingressu officii, præstari. Utinam vero hujus juramenti semper data occasione meminerint illi.

16 Monet S. Synodus Examinatores (b): *Caveant, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant; à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis; quæ, quomodocunque etiam antea obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur. Nec excusantur, si vel minimum stipendium Examinatoribus pro concursu constituisset in ipsa Synodo etiam Ordinarius.*

17 Examen dirigi debet in ætatem, in mores, reliquamque sufficientiam, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Inquit S. Synodus: *Peracto deinde examine renuntientur, quotquot ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportuni.* Quantum aberrant ab hoc Decreto illi, qui omne examen pro concursu ad quæstiones quasdam, aut disputationes scholæ reducunt.

18 Statuit S. Carolus in Concilio Mediolanensi (c), ut, cum initur examen illius, cui in curam certa Ecclesia Parochialis tradenda est, videant ante Examinatores, qui, qualis, & quam numerosus populus sit, cujus Parochialem curationem is suscipiet. *Qua re sane diligenter explorata, in examine, quod inibunt, sibi proponant accurate perspicere, an ad eam curam gerendam suscipiendamve idoneus omnino ille sit.*

Ep. Van-Espen T. II.

(a) Trid. sess. 24. c. 2. (b) Trid. sess. 24. c. 18. (c) S. Carol. in Conc. M. diol. P. 3. Tit. de Exam. rit.

Ergo non vacat corruptela, quod concursus ad vacantiam plurium Ecclesiarum reservetur.

19 En articulos, ad quos S. Carolus examen revocat. Sunt horum alii generales; qui Candidatorum totum viræ statum & genus spectant. Hinc inter alia quæri vult: an in orationis sanctæ studio, usuque versatus? Quibus meditationibus instructus? Qui orandi modus, quique illius fructus, & profectus? Quæ regulæ præparationis ad orationem &c.

20 Speciali examine quæri oportet. An sermones contexere, habereve sciant? An quos habuerint? Unde hos sumpserint? quam illis contexendis, conscribendisque rationem adhibuerint? Et vero, si quos apud se conscriptos tunc habeant, eos ostendant, ac tradant. An in eo genere aliquid ex tempore possint, & tunc brevi sermone periculum fiat, quantum concionando valeant? An alias unquam curam animarum gesserint, & ubi, & cur inde dicesserint? An intelligant, quantum illud sit, curam animarum gerere; quæ partes, & virtutes illæ sint, quibus bonum, ac vigilantem animarum Curatorem prælitum esse oportet?

21 Ait Concilium Tridentinum (a): *Peracto examine renuntientur, quotcumque ab his (Examinatoribus) idonei iudicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis.* Si inter Examinatores non conveniat de idoneitate, inidoneitateque aliquorum, à pluralitate suffragiorum concluditur; aut, si vota sint paria, vel singularia, accedere poterit Episcopus, aut Vicarius Generalis, qui examini præstet. Oportet enim accessionem fieri in ipsomet examine, & coram iisdem Examinatoribus simul congregatis. Sic S. Congregatio decidit, *examen esse faciendum coram Episcopo, vel ejus Vicario absque eorum voto decisivo; & tantum eos posse accedere, si vota sint paria, vel singularia.*

22 Præcipitur Examinatoribus referre non tantum de doctrina, sed & de cæteris dotibus, quod examinati sint absolute idonei ad regendam vacantem Ecclesiam. Inde resolvit S. Congregatio, *Decreto Trid. non esse satisfactum per relationes Examinatorum, quorum aliqui renuntiaverunt, examinatum idoneum esse quoad literaturam; quoad reliqua dicentes, onus esse Episcopi.*

23 Superest abhinc, quod ex his (ab Examinatoribus tanquam idoneis renuntiatis) *Episcopus eum eligat, quem cæ-*

(a) Cap. 4. De Renunt. & Elect. Dign.

teris magis idoneum judicaverit, ut prælectioni dignioris locus sit. Quippe à peccato mortali excusari non posset Episcopus, nisi quem digniorem, & Ecclesiæ magis utilem, non quidem precibus, vel humano affectu, vel ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis ipse judicaverit, præfici diligenter curaverit.

24 In Curia locus est appellationi, nisi Episcopus digniorem præferat. Declarat Pius V (a). *Volumus, & decernimus, quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis elegerit; possunt ii, qui rejecti fuerint, à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse Metropolitanus, aut exemptus fuerit eligens, ad viciniorem Ordinarium, uti nostrum, & Sedis hujusmodi delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ad effectum devolutivum, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice; & ejus Examinatoribus provocare &c.*

25 Refert tamen Fagnanus, novum examen non decerni nisi dato aliquo summo irrationabilitatis, & malæ prælectionis. Hinc S. Congregatio censuit, *concursum novum in urbe instituendum, ubi Orator de veritate narratorum dederit fumum; id est, postquam per attestaciones extrajudiciales, vel alia uniformia documenta, de hujusmodi suspicione, & gravamine aliqualem fecerit fidem; ut sit probabilis, & sufficiens causa eum excusandi à calumnia.* Alibi tamen omnis appellatio ea occasione exulat, ut lites minuantur. Concilium enim Tridentinum simpliciter reliquit Episcopi iudicio, ut eum eligat, quem cæteris magis idoneum ipse judicaverit. Restringitur tamen hæc Episcopi libertas ad eos, qui examine peracto idonei ab Examinatoribus ætate, moribus &c. renuntiati fuerint.

26 Ulterius statuit Concilium (b), *ut illi, quem Episcopus cæteris, quos Examinatores idoneos ad regendam vacantem Ecclesiam renuntiaverint, digniorem judicaverit, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.* Inde in beneficiis reservatis Pontifex ex stylo Curie provisionem sibi vindicat. Alibi tamen ipsa reservatio Romana sublata censetur, ut & collatio ad ipsum Episcopum pertineat.

27 Quantum ad reliquos Patronos ecclesiasticos observatur, ut, si institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentetur, ut ab eo ins-

(a) S. Pius V. Bull. 33. §. 7. in Bull. Romo. (b) Trid. sess. 24. c. 18.

tituatur: dum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo faciendā erit, tum Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsenteret, ad quem institutio pertinet. Quippe institutio hoc loco accipitur pro collatione tituli.

28 Jure Decretalium soli Episcopo vindicatur institutio autorizabilis, quatenus curam animarum tribuit. Sic enim Rubrica refert: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum; id est, non habet institutionem autorizabilem.* Refertur hæc inscriptio c. 4. de Offic. Archid.

29 Quia tamen Concilium Tridentinum discrete supponit, institutionem ab alio, quam Episcopo aliquando esse faciendam; placet institutionem autorizabilem, quatenus titulum confert, distinguere à commissione curæ animarum, ut pro ista ad Episcopum remittendus sit, cui Archidiaconus, vel alius Patronus ecclesiasticus institutionem autorizabilem, id est, tituli, jure proprio contulit.

30 In tanta mora examinis, & provisionis consultum videbatur (a), ut *debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesie, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesie sustineat, donec ei de Rectore provideatur.*

31 Hæc provisio, ut pote Vicarii, pertinet ad simplex arbitrium Episcopi, independentem à concursu, aut examine, aut jure Collatoris, si quis ab Episcopo alius est. Sede vacante succedit, & in hoc jus Episcopi Capitulum, ut tamen non alteri, quam jam aliunde approbato Sacerdoti curam animarum committere possit per speciem quandam prorogationis. Si Capitulum alium delegat, non nisi ad custodiam datus censetur, quia cura animarum reservatur Episcopo.

32 Competit hæc Vicarii deputatio Episcopo non tantum in Ecclesiis, quæ concursui sunt subjectæ, sed & aliis, quæ à concursu eximuntur: ne alias defectu Sacerdotis, & deservitoris, sive Vicarii populus Sacramentorum usu, aliisque salutis mediis destituatur.

33 Inde & Episcopi est, congruam ex fructibus beneficii portionem Vicario illi assignare, tametsi aliis jus sit, proventus vacantis beneficii percipiendi. Quippe illud jus non intelligitur, nisi deductis oneribus, inter quæ congrua portio, Vicario, vel Deservitori præstanda, juste computatur, quia, qui altari servit, & de altari alendus est.

Jux-

(a) Cap. 5. de Vicar. vacant. Eccl. Paroch.

34 Juxta Tridentinum Decretum Vicarius ita constitutus onera ipsius Ecclesie vacantis interim sustineat. Formula consuetæ hæc onera ita explicat: *Te Vicarium ipsius Ecclesie S. N. constituimus, & deputamus, cum autoritate Missas, & alia divina officia celebrandi, Sacramenta administrandi, & alias functiones ecclesiasticas obeundi, ad quæ tenetur, & quæ quilibet animarum Rector, & Administrator præstare, & obire solet.*

35 Hoc tenore transeunt in Vicarium, quem & Deservitorem dicunt, quæque onera Pastoralia, ut præst omnia, quæ ipse Parochus pro administranda cura animarum præstare deberet. Enimvero si illi beneficio alia jura aliis titulis cohæreant; ut pote, quod Parochus, vel Plebanus in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali habeat locum inter Canonicos, hæc in Vicarium non cadunt, quia inter functiones Pastoralis recenseri haud solent.

*36 In morum doctrina ad calcem hujus tituli quid tam facit, quam inter currentes, & renuentes laudare obediētes? Ait B. Augustinus (a): *Siquam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandienti desidia respiciatis: sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum etiam necessitatibus Ecclesie præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nascerentur, non inveniretis.* Juxta S. Gregorium (b): *Inter hæc quid sequendum, quid venendum est, nisi, ut virtutibus polens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.* Refert. S. Cyprianus de S. Cornelio (c): *Episcopatum nec postulavit, nec voluit, sed pro pudore virginitatis conscientie sue, & pro humilitate ingenite sibi, & custodite verecundie, non, ut quidam, vim fecit, ut Episcopatus foret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus reciperet.* En S. Gaudentii verba (d): *Imparem, inquit, me vestro desiderio per omnia sentient, onus istud totis viribus conatus sum declinare: sed B. Pater Ambrosius, cæterique Venerandi Antistites, tales ad me epistolas cum vestra legatione miserunt, ut sine danno anime mee ultra jam resistere non valerem.* Teste Paulino B. Ambrosius (e) productus itaque, & adductus Mediolanum, cum intelligeret citra se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere &c.

TI-

(a) S. Aug. ep. 81. (b) S. Greg. lib. 1. Past. c. 9. (c) S. Cypr. ep. 52. (d) S. Gaudent. Brix. ser. 16. (e) Paulin. in vit. S. Ambros. c. 3.